

plures et auctoritate praestantes existimant utramque Decretalem in eo tantum dissentire, quod Alexander III edixerit nolentes servare juramentum per censuras Ecclesiasticas cogendos esse, Lucius autem senserit monendos potius esse quam cogendos, quod coacta matrimonia infelices exitus habere solent.

At praeter aetatem, in qua sola est discrimen inter matrimonium et sponsalia, cum ad illud contrahendum aetas pubertatis requiratur, generatim tenendum est inhabiles ineundis sponsalibus esse, qui matrimonium inter se celebrare vetantur. Omnia itaque impedimenta matrimonii, etiam quae solum impediunt et non dirimunt, illicita sponsalia et irrita faciunt. Non enim valet promissio rei quae jure impleri non possit; contrahens vero sponsalia, si dirimenti impedimento laboret, rem impossibilem spondet, matrimonium scilicet quod constare non potest; si impediendi tantum impedimento laboret, rem illicitam spondet, cum matrimonium contrahere prohibeatur. An autem promissio matrimonii inter impeditos licita et valida sit, si non absolute fiat, sed sub aliqua conditione, qua posita impedimentum tolleretur, hoc loco inquiri solet. In primisque certum est, si impedimentum temporale sit, non perpetuum, rite recteque contrahi sponsalia sub tacita vel expressa conditione ineundi eo tempore matrimonium quo impedimentum abierit. Qui igitur ex. gr. ad annum voto castitatis aliove temporali impedimento obstructi sunt, ii valide sponsalia contrahunt, attamen suo tempore adimplenda. Praeterea cum amotio impedimenti pendeat a voluntate contrahentis, sponsalia valida sunt sub conditione ipsius impedimenti amovendi, uti si fidelis promittat matrimonium infideli apposita conditione, si convertatur. Sic docet S. Thomas in 4 distinct. 39 q. 1 a 1 ad 3, his verbis: « Dicendum quod eadem est habitudo praesentis ad praesens, et futuri ad futurum; unde sicut quando matrimonium in praesenti contrahitur, requiritur unitas ultus in utroque contrahentium, ita

ad sponsalia quibus fit sponsio futuri matrimonii, sufficit conditio apposita de futura unitate cultus. »

In eo igitur tota vertitur difficultas, an quando impedimentum perpetuum est, et ejus generis ut a solo Pontifice per derogationem juris communis, seu per dispensationem auferri possit, sponsalia licita sint, et valeant sub conditione « *Si Pontifex dispensaverit.* » Tres invenio sententias: prima docet, eam promissionem esse omnino nullam, ac proinde contrahentium utrique licere ante, atque etiam post impetratam a Pontifice dispensationem altero invito resilire, nisi post dispensationem ipsam rati habitio aut novus consensus accesserit. Potissimum hujus sententiae fundamentum est in L. 83 et L. 437 ff. de V. O., in quibus promissio rei quae jure impleri non potest nullius momenti habetur, etiamsi sub conditione in pactum deducatur. « Nec ad rem pertinet, inquit citata Lex 437, quod jus mutari potest, et id quod nunc impossibile est, potest possibile fieri; non enim secundum futuri temporis jus, sed secundum praesentis aestimari debet stipulatio. » Hanc sententiam tradunt Johannes, Andreas, et Panormitanus in cap. SUPER EO de Condit. appos., eamque vere probabilem vocant Ledesma, et Sanchez. Secunda praecipuum auctorem habet Gutierrez, eamque exponit Sanchez de Matrim. lib. 5 disp. 5 n. 11 his verbis: « Secunda sententia docet talem contractum et promissionem obligare; at esse revocabilem, posseque alterutrum contrahentem altero invito resilire ante et post dispensationem impetratam, nisi ea impetrata ratificetur consensus, sicut sponsalia impuberum rata sunt et obligatoria, revocabiliter tamen cum possit uterque pubes factus resilire, ut diximus. Ducitur quia non est dicendum ita firmum et irrevocabilem esse hunc consensum praestitum a personis inhabilibus sub conditione, si Princeps dispensaverit, ac quando personae sunt habiles. « De hac sententia ita censet idem auctor cit. loco n. 13: » Secundam autem hanc sententiam minime percipio. Non enim video

qualiter stare possit aliquem esse obligatum, et semper posse resilire; si enim potest resilire, ergo non est obligatus. Nec confert simile de sponsalibus impuberum: quia impuberes non semper resilire possunt, sed statim ac pubertatem nacti fuerint; at juxta hanc sententiam possunt semper contrahentes resilire, nisi obtenta dispensatione novam obligationem ineant. » Tertia denique sententia docet, sponsalia sub conditione dispensationis Pontificiae nullius roboris et effectus esse, ubi promittentes eo ligentur impedimento, in quo Pontifex non soleat dispensare, aut nequeat, aut etiam si nulla adsit justa causa dispensationis obtinendae. At vero si contrahentibus subsit justa causa dispensationem petendi, et impedimentum ejus generis sit, in quo Pontifex facile et frequenter dispensat, hoc in casu censet sponsalia rata firmaque esse, ex iisque irrevocabilem obligationem oriri tum dispensationem Pontificis comparandi, tum ea impetrata matrimonium contrahendi. Haec autem sententia caeteris, ni fallimur, probabilior est et ferme certa. Namque explorati juris est, ex contractu conditionato, modo conditio honesta et possibilis habeatur, veram obligationem induci, adeo ut cum semel existit conditio, conventis standum est « perinde ac si eo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset » L. POTIOR 11 ff. Qui potior. in pignor. At conditio, de qua disputamus, honesta est; versatur enim circa objectum honestum, scilicet matrimonium post obtentam dispensationem ineundum; est etiam possibilis, ubi impedimentum ecclesiastici juris sit, nec desit causa ob quam Pontifex soleat facili negotio dispensare. Praeterea hujusmodi sponsalia duplicem obligationem involvunt, alteram petendi dispensationem, alteram dispensatione obtenta contrahendi matrimonium, quod quidem utrumque honestum et possibile est. De his plura dabit Sanchez cit. loco.

§ 146.

DE SPONSALIBUS FILIORUMFAMILIAS.

Restat ut dicamus, utrum filiifamilias sine parentum consensu et auctoritate habiles sint licitis et validis sponsalibus ineundis. Quaestio est de solis sponsalibus, nam quod matrimonium spectat, ipsius validitas a contrahentium consensu omnino pendet, nequaquam vero a nutu eorum sub quorum dominio vel potestate constituti sunt; quod generatim Sacris Canonibus sancitum est, et definitum a Concilio Trident. sess. 24 cap. 1 de Reform. Matrim., ubi anathemate percutit « qui falso affirmant, matrimonia a filiifamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. Nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis ea semper detestata est ac prohibuit. » Igitur filiifamilias, insciis aut rationabiliter invitatis parentibus, valide quidem matrimonia contrahunt; peccant tamen graviter quod in re tanti momenti tum ecclesiasticas leges, tum ipsum violant naturale et divinum praeceptum de parentibus honorandis. Praeterea nemo prudens nescit quot gravia mala, scandala, jurgia et inimicitiae lethales etiam et diuturnae inter parentes aut consanguineos ex hujusmodi male auspiciis connubiis oriri soleant, cum maxima familiarum et reipublicae ipsius perturbatione. Jam vero si tales nuptiae tot tantisque peccatis et periculis plenae sunt, procul dubio sponsalia seu promissiones earumdem admodum illicitae et nefariae habendae sunt, cum nequeant sine peccato et injuria parentum adimpleri: « impia est enim promissio quae scelere adimpletur, » quod habetur Caus. IN MALIS 22 q. 4.

De his autem cum Doctoribus controversiae nihil est, sed disputatio copiosa et valde anceps, quam hoc loco instituimus, ejusmodi est, utrum filii parentibus insciis vel repugnantibus,

si non licite et saltem valide sponsalia contrahant? Igitur disputatio in primis est de sponsalibus, quae insciis parentibus contrahuntur, quando scilicet filii, clam parentibus suis, sibi mutuam dant fidem ineundi matrimonii. Fieri autem potest, ut filius non peccet, inscio patre, sponsalia ineundo, si nimirum prudenter putet patrem ea rata habiturum, quemadmodum Tobias inscio patre uxorem duxit. Itaque in his casibus sentiendum est, haec furtiva sponsalia habere implicitam conditionem, si parentes consenserint, nam omnis actus eo modo interpretandus est, ut liceat, nedum valeat. Igitur erit in potestate parentum ea rata facere vel irrita, aut certe juxta Doctores omnes dissensus parentum legitimam causam praestabit ejus generis sponsalia dissolvendi. At vero si filii, non insciis, sed scientibus vel invitis jure merito parentibus, sponsalia ineant, tunc hujusmodi sponsalia procul dubio illicita sunt et peccaminosa; quin et irrita nullaque prorsus esse recentiores aliqui Doctores vehementer contenderunt. Namque ex communi Canonistarum sententia, ut ipsi aiunt, quovis impedimento etiam impediendo ligati, nec licite, nec valide sponsalia faciunt, quia certi juris est sponsiones turpes, seu quae impleri sine peccato non possunt, nullius esse roboris. Igitur sponsalia filiorumfamilias, dum parentes rationabiliter invitati sunt, irrita et nulla habenda erunt, quia matrimonium quod spondetur, sine peccato contrahi non potest. Ex qua sententia illud consequitur, quod sponsalia illicita continuo invalida sunt, quia dum prohibentur ne fiant, etiam facta vitiosa sunt et robore carent; contra quam accidit in matrimonio quod potest esse validum, quamvis non licitum. Cujus quidem discriminis ratio in eo posita est, quod sponsalia a nuptiis differant non solum nomine, sed etiam natura, fine et effectibus; siquidem sponsalia perficiuntur pactione de futuro matrimonio, nuptiae praesenti traditione, cohabitatione, et individua vitae societate; matrimonium est Sacramentum, sponsalia non item; illud est

irrevocabile et indissolubile, sponsalia revocari et dissolvi possunt.

Verum huic opinioni non penitus assentimur. In primis quae contra jus fiunt, debent pro infectis haberi regula generalis est, quae ad actus tum revocabiles, tum etiam irrevocabiles pertinet, ejusque sensus est, eos actus qui contra legem prohibentem simul et irritantem admittuntur, nullius momenti et roboris esse perinde ac si nunquam gesti fuissent. At vero actus qui aguntur contra legem tantum prohibentem sed non etiam irritantem, nullos et invalidos esse neque regula explicat, neque apud Doctores compertum est, cum adhuc in dubio positum sit, utrum, actus qui lege prohibiti sunt ob eam causam irriti haberi debeant. Jure quidem civili, et praesertim L. 5 Cod. de Leg. haec leguntur: « Ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur, licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est. » Verum haec lex, quae Interpretes vexat, a Jure Canonico correctata est, dum Innocentius III, cap. 16 de Regular. diserte pronuntiaverit: « Multa prohibentur, quae si facta fuerint roboris obtinent firmitatem. » Igitur sponsalia, invitatis parentibus facta, cum a legibus prohibeantur sed non irritentur, illicita quidem, valida tamen erunt. Insuper ad probandam hujusmodi sponsalium validitatem maxime facit Tribunalium Ecclesiasticorum praxis, in quibus eadem sponsalia injussu parentum facta pro ratis habentur, neque filii ab eorum vinculo solvuntur, nisi ministerio Judicis, et causa cognita. At vero si res foret de sponsalibus indignis, quibus tota propinquitas injuria et dedecore afficeretur, certum est consensum genitorum non sufficere, ut hujusmodi sponsalia honesta et licita redderentur. Cum enim totius familiae honor et decus in discrimen adducitur, profecto ad ea impedienda nedum parentibus, verum et caeteris consanguineis jus esse nemo nescit. Sane in dubio positum est, utrum homo adeo sit

suae famae dominus, ut ejus possit pro libitu jacturam facere. Sed Doctores consentiunt id minime licere, si infamia in alios vergat, puta in filios, in fratres, in familiam, in Religionem, in patriam. Ad rem Raphael Anversa de Sacr. Matrim. quaest. 7 sect. 7: « Si inirent indignum aliquod matrimonium cum notabili dedecore et ignominia familiae, quamvis cum consensu parentum, peccarent adhuc filii contrahendo, et parentes consentiendo, quando matrimonium esset cum dedecore aliorum de familia. » Itaque ex his, quae nobis visa sunt probabiliora, compertum habetur filiosfamilias graviter delinquere si parentibus rationabiliter invitis sponsalia ineant; sponsalia autem rata et valida esse. Qua tamen in re quoties parentes dissentiant, vel scandala, jurgia, dedecus familiae, aliave gravia mala prudenter timeantur, integrum est parentibus atque etiam consanguineis, quorum intersit, ecclesiasticum Judicem adire, ut matrimonium interdicitur. Certum etiam est, sponsalia invitis parentibus inita dissolvi posse, licet juramentum intercesserit, uti tradit Benedictus XIV Instit. Eccl. 46.

§ 147.

DE EFFECTIBUS SPONSALIIUM.

Duo praecipui sunt sponsalium effectus, alter generalis et omni contractui communis, videlicet obligatio praestandi quod promissum est, cum nihil tam fidei humanae congruum sit, quam ut pacta servantur et adimpleantur, cap. 1 et 2 de pactis; L. 1 ff. de Pact. Alter effectus sponsalium est impedimentum publicae honestatis inter sponsi et sponsae consanguineos, de quo infra sermonem habebimus. Jure quoque veteri sponsalia, quibus commercium ipsum carnis accesserat, in matrimonium transibant, cap. 15 et 30 de Sponsal. et Matrim. quod tamen per Synodum Tridentinam sublatum est.

Primo itaque ex sponsalibus obligatio oritur ad nuptias contrahendas cum persona desponsata, eaque obligatio non ex sola virtute fidelitatis profluit, ut aliqui Doctores sentiunt, sed ex justitia commutativa, cum sponsalia ob speciale nomen sint verus contractus nominatus, aut certe contractus innominatus, *facio ut facias*; ex quovis autem contractu nascitur stricta obligatio justitiae, et grave est fidem fallere. Neque vero huic sententiae quidquam officit, quod jure civili desponsatis permissum sit poenitere et alteri nubere; id namque Jure canonico improbatum est, quod vult promissiones nuptiarum ratas et firmas esse, et non suadet modo, sed minis etiam urget ut sponsalibus satis fiat, de quo paulo infra. Imo veteri Romanorum jure ex sponsalium stipulatione actio *ex sponsu* dabatur, et solummodo perditis Romanae Civitatis moribus repudiorum licentia irrepsit; quod Hothomannus de cestis et incestis nuptiis part. 3 et 4, alique observant. At vero si nuptiarum promissioni juramentum addatur, tunc vinculum sponsalium fortius et sanctius fit, et qui fidem fregerit, non modo injustus, sed etiam perjurus habendus erit; neque enim homini soli injuriam facit, sed interpositam ipsius Dei auctoritatem contemnit.

Cum in sponsalibus nulla dies aut terminus promissioni implendae praestitutus est, matrimonium cum primum poterit, iniri debet ex L. IN OMNIBUS 14 ff. de R. J.: « In omnibus obligationibus in quibus dies non apponitur, praesenti die debetur; » et L. EUM QUI 41 § *quoties* ff. de V. O: « Quoties in obligationibus dies non ponitur, praesenti die pecunia debetur. » Saltem matrimonium ineundum est, quando alteruter contrahentium postulat promissionem impleri; quam sententiam tuentur Sanchez, alique plures ob eam rationem, quod creditor conscius ac memor sui juris, et potens commode petere quod sibi debitum est, nec tamen petit, censetur dilationi consentire, nisi forte propter pudorem vel timorem non audeat petere, uti contingere in foeminis solet natura ve-

recundis; tum enim sponsa, quamvis actu non petat, interpretative tamen videtur petere, et sponsus in mora constituitur. Verum Doctorum omnium una sententia est, admonendos esse sponso, ut citius matrimonium contrahant, dum ea res in posterum dilata libidinum et peccatorum occasio esse soleat. Si quis autem citra causam justam detrectet matrimonii celebrationem, monendus prius est, et si adhuc renuat, per censuras compellendus, praesertim si sponsalia jurejurando confirmaverit. Id constat ex cap. LITTERIS de Sponsal. et Matrim. cui quidem capiti, ut supra diximus, Lucius III, cap. REQUISIVIT, non videtur consentire, nam vult nolentes servare sponsalia monendos potius esse quam cogendos; ex quo perspicuum est praedicto capiti LITTERIS nonnihil derogatum esse. At vero Lucius quidem vult contrahentes moneri potius quam cogi, hoc est monitionibus utendum in primis esse, sed tamen compelli non vetat omnino. Verum in hoc negotio vel levissima causa habetur pro rationali, quamobrem a censuris temperandum est, quia coactio hac in re difficiles exitus habere solet. Hinc prudentem neminem reperies acerbe nimis censuris abuti ad sponso urgendos ut fidem praestent. At si contrahentes stupro etiam se contaminaverint, res alio jure procedit ex iis de quibus supra disputavimus in § 138.

§ 148.

DE SPONSALIIUM DISSOLUTIONE OB MUTUUM CONSENSUM.

Universalis ratio in omni promissione est, eam dissolvi si consentiat ille cui facta est, aut si quid accidat propter quod incipiat promissio inutilis esse, sive nociva, sive etiam impossibilis, aut certe quod si adfuisset quando promissio fiebat, jure merito impedivisset quominus promitteretur. Hinc igitur praeter mortem naturalem, quae omnia solvit. Doctores col-

ligunt decem praecipuas causas propter quas sponsalia dissolvuntur.

Prima causa est mutuus Sponsorum consensus, quia « omnis res per quas causas nascitur, per easdem et dissolvitur, » cap. 1 de R. J. : « et obligationes quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur, » § ult. Institut. Quibus mod. tollant. obl. Idemque jurisjurandi religione firmata sint, siquidem juramentum non immutat naturam actus cui accedit, et idcirco quemadmodum simplex promissio matrimonii, ita etiam jurata promissio consensu mutuo solvi potest. Controversia in illo est, utrum jurata sponsalia consensu mutuo dissolvi possint, quando juramentum non modo in confirmationem sponsalium, sed principaliter, ut aiunt, in honorem Dei emissum est, veluti si quis intuitu et amore Dei pauperi puellae juret se eam in matrimonium ducturum. Communior sententia docet, horum quoque sponsalium dissolutionem voluntate contrahentium fieri recte posse. Illi siquidem juramento tacita conditio inest « si is in cujus favorem praestitum est, voluerit illud servari; » atque ita juramentum videtur in favorem puellae a Deo ipso acceptari. Enimvero si puella, quod extra controversiam positum est, promissionem potest non acceptare, quae erit causa, cur acceptatam remittere non possit? At S. Thomas aliter sentit 2 2q. 89 a 9 ad 11, ubi inquit : « Homo potest alteri promittere aliquid sub juramento dupliciter. Uno modo quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius, puta si sub juramento promittat se servitutum ei, vel pecuniam daturum, et a tali promissione potest absolvere ille cui promissio facta est : intelligitur enim jam ei solvisse promissum quando facit de eo secundum ejus voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum, puta si aliquis sub juramento promittat alicui, se intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum. Et tunc ille cui promittitur non potest absolvere promittentem, quia promissio non est

facta ei principaliter, sed Deo, nisi forte sit interposita conditio, ratione cuius possit, scilicet si illi videbitur cui promittitur, vel aliquid aliud tale » Aliqui tamen Interpretes mentem S. Doctoris ex posterioribus citatis, verbis ita explicant, ut res juramento promissa remitti et condonari ab homine nequeat, quando in ejus utilitatem tota non cedat, uti si quis alteri juraret se religionem ingressurum, vel Ecclesiam aedificaturum, quae proprie juramenta sunt sive vota. Contra autem si promissio, etiam intuitu Dei facta, omnino vergat in utilitatem ejus cui juratum est, poterit ab eo remitti et condonari; juri enim suo quilibet renuntiare potest, et quamvis religio in Deum causa fuerit cur promissio facta sit, res non Deo tamen, sed homini promissa est. Haec tamen accipias de sponsalibus puberum, nam quod impuberum sponsalia spectat, supra diximus.

§ 149.

DE DISSOLUTIONE OB LAPSUM TEMPORIS.

Secunda est lapsus temporis ad finiendam sponsalium obligationem a contrahentibus constituti, nam ex regula Juris 85 in 6: « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. » Igitur sponsalia ob conditionem non impletam obligare desinunt: interest tamen nosse, utrum matrimonium stato tempore celebratum non sit culpa utriusque, an alterutrius, an neutrius. Si uterque nuptias inire neglexerit, utrinque solvitur obligatio; mutuo enim consensu eisdem videntur renuntiasse. Si ex parte unius tantum culpa intercessit, tum is a sponsalium obligatione solvitur, per quem « non stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit, » id est contraxerit, uti perspicue habetur in cap. Sicut de Sponsal. et Matrim. Is autem qui in culpa fuit, a vinculo sponsalium non liberatur; nemo quippe debet ex propria ini-

quitate commodum reportare. Quod si per neutrum stetit, quominus nuptiae celebrarentur, sed uterque legitimo impedimento non potuit praestare fidem, Sanchez lib. 1 de Matrim. disp. 53 n. 8, aliique Doctores sponsalia dissolvi docent, propterea quod expleto tempore cui obligatio alligata est, eadem obligatio desinit: « actus quippe agentium non debent operari ultra eorum intentionem. » L. NON OMNIS ff. Si certum pet. At vero si tempus constitutum sit non ad finiendam, sed implendam obligationem, cum scilicet in sponsalibus tempus praestitutum est intra quod obligatio ineundi matrimonii implenda sit, non exstinguenda, veluti si sponsi nuptias sibi promitterent intra annum contrahendas, expleto anno obligatio non exstinguitur. Hoc enim in casu quasi duo contractus sunt, alter ineundi matrimonii, alter certo tempore ineundi; qua de re prior obligatio semper manet, etiamsi contrahentes suo tempore non impleverint; perinde atque debitor pecuniae certo tempore solvendae a facienda solutione non eximitur, etiamsi pecuniae dies venerit, nec eam solverit. Interdum etiam perficiendis sponsalibus terminum Judex constituit, cap. Ex PUBLICO de conver. conjug., quo elapso ille per quem non stetit, aliud matrimonium inire potest, quia terminus praestitutus censetur obligationi finiendae, ne scilicet diutius cum periculo fornicationis nuptiae protrahantur.

§ 150.

DE DISSOLUTIONE OB ALTERIUS SPONSI ABSENTIAM.

Tertia est diuturna alterius Sponsi absentia. Aliquando contingit, ut sponsalibus rite contractis sive vir, sive mulier alio abeat altero inscio vel invito. Jus quidem Romanum, si causa absentiae sit necessaria, veluti si sponsus ob defensionem patriae jussu Principis profectus sit, aut si infirmitate corre-

ptus, aut ab hostibus captus reverti non possit, decernit expectandum a sponsa per triennium, quadriennium, et adhuc diutius arbitrio Judicis, L. 17 ff. de Sponsal. Absens vero ex causa voluntaria, si intra provinciam commoretur, per biennium. L. Si is 2 Cod. eod. : si extra provinciam, per triennium expectandus est, L. Si is 2 Cod. eod. : si extra provinciam, per triennium expectandus est, L. LIBERUM 2 Cod. de repudiis. Verum Alexander III cap. DE ILLIS hoc tit. sic pronuntiavit: « De illis autem, qui praestito juramento promittunt, se aliquas mulieres ductores, et postea eis incognitis dimittunt terram, se ad aliam terram transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis, si non est amplius in facto processum, ad alia vota se transferre. » Quare juxta leges canonicas ad Episcopum confugiendum erit, et tempus absentis praefiniendum, intra quod, nisi redierit, alter sponsus ab omni exemptus vinculo declaretur, eique facultas fiat ut quamlibet vitae rationem amplecti, aliaque, si velit, sponsalia inire possit.

§ 151.

DE DISSOLUTIONE OB MATRIMONIUM CUM ALIA INITUM.

Quarta est, cum sponsalia solvuntur per matrimonium quod sponsus cum alia muliere, aut sponsa cum alio viro contraxerint. Hic autem tria sunt apud omnes certa et explorata: 1. Eum qui matrimonium contrahit, graviter peccare, quod in re gravi fidem frangit et injuriam alteri facit, qui jus ad matrimonium ineundum ratione sponsalium adeptus erat; quin etiam eum qui fidem fefellit, teneri praestare damna, si qua pars innocens passa est. 2. Matrimonium sic contractum validum esse; fortius enim est vinculum matrimonii, quam sponsalium. « Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, » ait S. August. in cap. 4 de Sponsa duor., « non

debet aliam ducere; si aliam duxerit, poenitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa quam duxit, non enim rescindi debet tantum Sacramentum. » 3. Priora sponsalia ipso jure dissolvi, nec amplius obligare saltem respectu partis innocentis, cui fas est alia vota transire, tum quia frangenti fidem fides frangi potest. L. CONVENERIT ff. pro socio, L. PROPNAS cod. de pactis; tum quia matrimonium cum alia contrahens ostendit se priori contractui renuntiare. Verum in dubitationem venit, an sponsalia dissolvantur, dum alter matrimonium contrahit, alter vero innuptus manet, nec juri suo renuntiat. Probabilius videtur obligationem sponsalium, ex parte ejus qui contra ipsorum fidem nuptias inivit, non penitus exstingui, sed manere suspensam quousque durat matrimonium, ita ut si conjugis morte dissolvatur, prior obligatio reviviscat. Nam obligatio parti innocenti ex sponsalibus quaesita per alterius matrimonium injuste contractum penitus auferri non potuit, cum « non debeat alteri per alterum iniqua conditio inferri; » et « factum cuique suum non adversario nocere debeat, » Reg. 75 et 198 ff. de R. J. Praeterea prior sponsalium obligatio aut ex juris dispositione, aut ex ipsa natura rei ob sequutam potiore fortioreque obligationem exstingueretur. At vero non exstinguitur ex juris dispositione, quia Canones, qui contra adduci solent, non id plane definiunt: neque etiam ex ipsa rei natura, quia priori vinculo, dum fortius vinculum supervenit eique impedimento est quominus impleatur, vis prioris vinculi non exstinguitur, sed durante impedimento suspenditur, veluti cum quis votum religionis emisit et postea matrimonium contraxit, consummatque, non exstinguitur voti obligatio, sed soluto matrimonio teneretur ingredi religionem, Argum, cap. 3 de convers. conjug.